DISSERTATIO MEDICA 5

INAUGURALIS

DE

HÆMATISI,

SEU SANGUINIS MISSIONE.

JOANNE ARMSTRONG Auctore.

VOCABULUM medicinæ fere inauditum necessario assumitur, ut materiam nostram rite designet; pro illo enim quod Latini Sanguinis Missionem, nostri *Blood-letting* vocant, nullum existit vel Græce vel Latine verbum singulare ac unicum. Gallicè vox satis opportuna SAIGNER notionem generalem haud male exprimit; neque ea deterius apud Græcos vocula Αἱματιζα (san-

[1820]



guinem elicio,) de qua more in difficultate simili medicorum HÆMATISIN formavimus. Cum enim de Sanguinis Missione in sensu generali agitur, durum videtur, voculis *Phlebotomia* ut BOERHAVIUS, *venæsectione* ut alii uti: durius autem sola fere probata ejus synonyma, *Sanguinis Missione* *, quando sermo forte sit de hirudinum usu vel leni quadam scarificatione. Sed doctis relinquo, sat habens rei difficultatem, etiam novi nominis periculo indicasse.

Hæmatisis, seu Sanguinis Missio, ea est curatio qua sanguis de corpore elicitur instrumento et consilio medico, ad morbos sanandos vel arcendos. Absolvitur variis modis, sed simplicissime de vase quodam magno sanguifero, quæ ideo est hæmatiseos antiquissima forma, et nomen operationi per omnes fere gentes dedit. Hinc Græcorum *Phlebotomia*, Latinorum Venæsectio.

Veteribus doctisque Ægypti incolis innotuisse docet cl. MILLER, in Medicinæ Antiquæ Historia sua, qui quidem more gentium priscarum

---

* Ἁιματος αφαιρεσις, HIPPOC. C. Prænot. xxxviii. 570.

ad miraculum quoddam * retulerunt, Hippopotamum scilicet, plenissimum animal, arundine semet statis intervallis, vulnerare solere, sanguinemque ideo satis copiose mittere. Homines autem rem conspicatos, utiliter imitatos fuisse.

Utcunque hæc res se habeat, HIPPOCRATI familiaris fuit operatio; et in variis morbis, nec

---

* PLIN. Hist. Nat. VIII. 25, 26. "The same River Nilus bringeth forth another beast called Hippopotamus, a River-Horse. The river-horse hath taught Physitians one device in that part of their profession called Surgerie; for he, finding himself over-grosse and fat, by reason of his high feeding so continually, gets forth of the water to the shore, having spied afore where the reeds and rushes have been newly cut; and where he seeth the sharpest cane, and best pointed, he sets his body hard unto it, to prick a certain vein in one of his legs, and thus, by letting himself bloud, maketh evacuation; whereby his body, otherwise inclining to diseases and maladies, is well eased of the superfluous humour; and having thus done, he stoppeth the orifice again with mud, and so stauncheth the blood, and healeth the wound."

unquam imprudenter, adhibuit. In doloribus dorsi, coxendicis *, Hepatitide, in Ophthalmia, Cynanche, Stranguria, Dysuria, Ischuria, Epilepsia, Cephalalgia, Splenitide, Pleuritide, febre, eum sanguinem misisse invenimus. Sed etiam illo vetustissimo ævo sub tribus formis innotuerat, venæsectionis, scarificationis, atque cucurbitæ. Quin et arteriatomia, licet parum feliciter, tentata fuisse ejus temporibus videtur. Nam in libro certissime Hippocratico Coacis Prænotionibus, mentionem ut infra factam videas: "Quibus tempora secantur convulsio ex contrariis sectioni *partibus* oritur," xxxviii. 572. Quæ sententia haud obscure arteriotomiam infelicem in convulsiones mortemque desinentem indicat. De cucurbita quidem in libro de Medico, ingeniose philosophatur, atque ei demum operationi plus attendisse videtur, quam quis medicorum ante tempora nostra. Celso, apud Romanos, perinde familiaris videtur sanguinis missio, atque ab eo in formis supra dictis præcipitur, nec ulla pars est

---

* De Venis, xii. 307.

materiæ medicæ quam tanta cautione laboravit. Sed eodem fere tempore quo librum de Medicina composuit, nobile huic arti Hæmatisi factum est additamentum, nimirum hirudinum usus. THEMISON, ejus rei inventor vulgo habetur; atque haud sine veri similitudine; quoniam, circa tempora CELSI manifeste floruit, qui alioquin accuratissimus scriptor, tanti momenti rem si nota fuisset, negligere non potuit, præsertim cum naturam hirudinis probe noverit, et remedium contra eum in faucibus hærentem, libro suo quinto dederit. Brevi tamen post id tempus curatio per hirudines valde familiaris facta est. A Poëta HORATIO indicatur *, fuseque a PLINIO discribitur; ne etiam periculis ex usu earundem omissis.

Post hæc tempora fere nihil arti sanguinem mittendi adjectum videtur. GALENUS librum de eadem composuit, in Erastrateios; et hominum genus qui haud aliter quam BRUNONII, et fortasse quoque CULLENII nostri temporis, huic

* De Arte Poëtica, ad finem.

evacuationi ex doctrinis ipsorum certis scilicet obstabant. Idem perillustris Philosophus, sanguinem in arteriis fluere evicit, et sanguinis missionem in febribus, summa cum laude, in usum medicum revocavit. Rem satis singularem de antiquis notavit Medicus clarissimus ARBUTHNOT; eos nusquam ullum præceptum de quantitate sanguinis mittenda emisisse, ante tempus ARETÆI *.

Post GALENUM sanguinis missio crevisse videtur, usque ad medium sæculi præteracti; quando labores clarissimi HOFFMANNI aliorumque, naturam et vitia generis nervosi, ideoque causas DEBILITATIS clariore multo luce exposuerunt; quo factum est, ut sanguinis missionem ut gravem debilitatis causam, " cane pejus vel angue," timere inciperent. Et evitarunt donec nuper paucos quidem ante annos non semper *debilitatem* quam metuunt, sed haud raro *vires novas* de sanguine misso acquiri observarunt. Hinc novæ res, molitionesque cruentæ, in medicina hodi-

---

* " Ancient Weights and Measures," p. 324.

erna; sed eventu haud improspero ut infra docebitur.

DIVISIO.

Hæmatisis vulgo in duas formas dividitur generales; in eam qua sanguis de toto corpore elicitur, et eam quæ sanguinem de *parte* aliqua fluere cogit. Prior Hæmatisis Generalis vel Universa dicitur; posterior Hæmatisis Specialis seu Topica audit. Sub Hæmatisi *generali* venæsectio et arteriotomia præsertim cadunt, atque hæ iterum in varias species diducuntur, pro parte de qua latex vitalis elicitur. Hæmatisis autem *specialis*, scarificationem, cucurbitam, hirudines includit; nec fortasse multum erraret aliquis si rubefacientia, vesicantia, setacea, etiam fonticulos eodem retulerit; simili enim causa adhibentur; simili, ni fallor, ratione inventa sunt.

Venæsectio vulgo ad cubitum fit, utpote partem minus incommodam sanationi, atque plerumque saltem periculi non multum habentem. Ibi

duæ vel tres venæ per se satis magnæ inveniri solent ; quæ tamen, ligaturæ ope, magis evidenter adhuc tumescere coguntur, et magis constanter sanguinem, simul sectæ sunt effundere possunt, alioquin cito collapsuræ. Vena per mediam partem secatur ; et uno rivo fluere permittitur, donec signa prius intellecta faciendi finem appareant. Hæc vulgo, ad capita quatuor referri possunt. Æger enim se dolore levari aliquando sentit, solatiumque perceptum gratus edicit. Aliquando aut anima deficit, aut pulsu adeo debili uti percipitur, ut prudens medicus rem ultra urgere nolit. Nec ignarus est medicus certam esse sanguinis copiam, quam nullus homo nullum animal vita incolumi amittere potest, atque plus quam hæc copia indicat, nemo medici nomine dignus temere abstrahet. Denique pro morbi natura jampridem experientia constat, mediocrem sanguinis copiam multis affectibus sufficere, quinetiam obesse, non prodesse largiorem quam res postulat missionem. Hisce fere signis utitur medicus ut copiam sanguinis recte discriminet : atque ligatura brachio amota facile fluxum nunc inutilem sistit.

Plurimæ autem causæ efficiunt, ut sanguis commodius de aliis venis quam cubitalibus aliquando subtrahatur. Puerulis hæ venæ vix visibiles sunt, etiam pinguioribus sæpe haud facile inveniuntur; atque notio derivationis cujusdam, postea nobis describenda, medicos impulit de pede vel crure potius sanguinem mittere.

Hujus curationis ORIBASIUS * auctor vetustissimus est, atque variis modis peragitur. Nonnulli venam saphænam prope talos secant, partemque aqua calida fovent; alii incisionibus frequentibus potius utuntur. Methodus ista apud Gallos minime obsolevit. Sed nulla vena tam celebris in hac chirurgia est ac jugularis, quam aperire etiam HIPPOCRATES novit. Vena enim jugularis externa in collo statim sub tenui musculo Platysmate Myoide, cuteque jacet; facileque, obstructione facta, intumescit. Præterea, venas capitis externas profuse recipit, atque li-

B

* De Crurum Scarificatione, cap. 28.

beraliter cum vena interna jugulari osculans haud mediocrem sanguinis cerebralis portionem transmittit. Sperabile igitur videtur, vulnere facto, nos multum sanguinis de capite hoc modo detracturos: quo factum est ut medici fere omnis ævi, ad morbos capitis levandos sanguinem e vena jugulari detraxerunt. Fit premendo venam pollice; ipsamque jam turgentem, gladiolo pertundendo; fluit sanguis.

Eodem fere consilio arteria temporalis secta est, licet anatomia minus arridente, vix enim portio vel levissima sanguinis arteria temporali advecti, in caput intimum pervenit, quoniam totus per tegmina ossaque cranii distribuitur. Videmus infelicem ejus apud veteres exitum; sed theoria nupera de natura febris inflammatoria ad hanc praxin animos medicorum direxit; inter quos Irving, Chirurgus Militaris, princeps habetur: constat sanguinem ab arteriis missum plus debilitare, quam de venis; ideoque novum hoc remedium non potest non actionem cordis nimiam valide compescere, sed parum ut nobis videtur, a situ in capite præponderabit. Fit simplice arteriæ sectione, cura habita ne arteria præ-

propere discindatur, quo facto sanguis minus copiose fluit.

I. *Hœmatisis Specialis.*—Hujus species supra nominatim dedimus. Scarificatio ex iis simplicissima et fortasse primum inventa, nihil est præter divisionem vasorum partis alicujus, crebris incisionibus factis. Modo autem pars affecta inciditur; modo alia aut vicina, aut etiam distantior. Hoc modo parvula fere sanguinis copia fluit, quæ tamen malum vehementer levare solet. Si incisionibus plurimis in cute factis, superimponatur vas cavum aëre prius deprivatum, firmiter adhæret, atque sanguis partis uberrime in ejus cavitatem profluit. Hanc actionem, ut homines plane intelligerent, opus erat experimento TORICELLII, opus erat nova scientia pneumatica. Nam aër e vase exclusus id toto suo pondere premit, dum similem ob causam aër in corpore humano partem incisam vi haud minore in idem vasculum sensum premit. Hinc firmissima inter vas atque corpus adhæsio, atque sanguis vasorum incisorum, jam pressione externa liberatus, jam pressioni internæ a tergo facile ce

dit, inque spatium vacuum illabitur. Talis autem operatio *cucurbita cum ferro* Latine dicitur; partim quidem distinguendi gratia; quoniam cucurbita sæpe per se ut rubefaciat cutem, admovetur.

Hirudo, animal quod ex hostibus generis humani in summum auxilium conversum fuit, præcipuum locum apud remedia topice evacuantia meretur. Invenitur paludibus aquisque variis impuris, et omnium Europæ regionum incola videtur. Vermis est, sed vi pertinaciaque sugendi bestiolis ejusmodi raro concessa præditus, ore enim suo triangulo si quem semel comprehenderit, vix antequam ventriculum probe impleverit cruore, dimittit. Hinc illud Horatii,

"Non missura cutem nisi plena cruore hirudo."

Scite naturam ejus depingit, necnon utilitatem quæ ex hac pertinacia maxime provenit. Quando quidem hirudo admovetur, cucurbitam imitatur, sanguinem prius fluere morsu cogens; hac re scalpellum quoque imitata; dein vacuum in ore format, donec hoc plenum sit; posteaque aliud

vacuum in corpore, ut sanguis eo profluens os liberet. Hac ratione ad unciam dimidiam bona hirudo educet; quod si secta medium fuerit copiam magnam, vix quidem definiendam, profundet. Porro sanguinis inde profluvium multum augere solent clinici, fomenta calida adhibentes. Sic enim vulnuscula immensam vim sanguinis emittere consuerunt; quin et hac de causa passim hæmorrhagia extinguuntur pueri, nec raro adulti; cujus rei exemplum dedit insigne PLINIUS *, in MARCELLO, viro consulari. Eo accuratius de hirudine egimus, quod indies magis magisque in usum venire observatur, nec minus quod infra theoriam ejus actionis expendere necessarium erit.

Sanguinis missi effectus, artem suam in duas partes, Chirurgiam et Medicinam, diviserunt clinici; et recte, quoniam diversissimis modis sanitatem moliantur. Medicina fere materiam aliquam salutiferam ventriculo injicit, quæ aut hanc partem, aut alias partes quæ cum ea consentiunt,

---

* Hist. Nat. Lib. xxxii. 10.

ad actionem salutarem perducit; vel denique in sanguinem absorpta varia membra laborantia ope hujus fluidi nec sine obliquitate quadam, sanitati restituit. Chirurgia, contra, ad malum ipsum recta accedit; atque aut excidit membrum, cui et hæreet, aut per se aufert. Hinc felicior longe chirurgiæ, quam medicinæ, eventus esse solet, adeo quidem ut vere HIPPOCRATES dixerit: "Valde autem turpe est, non contingere a chirurgia quæ velis *."

Sed Hæmatisis opus est penitus chirurgicum; et in hac re etiam indolem illius artis adeo non exuit, quod sanguinem nimium, plurium malorum causam, proxime, atque sine interventu auxiliorum quæ forte deficerent, e corpore removeat. Hac re liquet sanguinis missionem plurimos morbos ablaturam esse, si modo recte adhibeatur.— Sed melius erit imprimis effectus ejus generales contemplari. Hi effectus ad decem capita referri possunt.

1. Diminuit quantitatem humorum circulantium.

---

* De Medico, v. 48.

2. Diminuit ideo plenitudinem vasorum, et renexum fluidis propellendis: Quo enim tensius vas eo rigidius erit; mutuam quoque vasorum compressionem imminuit.

3. Ubi vero vasa supra modum tensa sunt, auget elaterem vasorum, onere eorundem minuendo. Quo enim levius fit, eo melius fertur vasorum onus.

4. Fluida etiam tenuiora reddit, ut post longas exinanitiones, quibus pars crassior sanguinis ocyus abstrahitur quam iterum formari potest: Quo fit ut sanguis tenuiorem, minusque stimulantem indolem acquirat, et minus ideo ad inflammationem urgeat; ut sæpe videtur *.

5. Varias circulantis motus obstructiones amovet, quia nova vis contrahendi quam conciliat, ex tunicis vasorum relaxatis, ad ramusculos minutissimos usque propagatur, liberioremque iis motum permittit.

6. Propter eandem fere causam motum sanguinis ipsum in tali conditione accelerat, uti ex en-

---

* Vide "Ed. Med Essays," vol. ii. pag. 264.

teritide probe videtur. Hinc secretiones omnes et excretiones exauget.

7. Nobilis hæmatiseos usus revulsio est, nimirum sanguinis de parte qua colligi congerique male gestiat, revocatio. Controversias de modo rationeque quibus revulsio fiat inire nolo ; contentus si mihimet rationalem rei manifestissimæ explicationem fingere possim. Hujusmodi igitur dicerem. Pone sanguinem pulmone congeri ; tres, quatuor libras sanguinis, curandi gratia, de vena ut solet cubitali abstractas esse :—" Quid fiet?" De omni corporis membro, proportione sua sanguis ad venas jam vacuefactas replendas redibit, sed de nulla quam ubere ac de pulmone, eo, scilicet, quod maximum sanguinis adventitii continet. Inde insignis congestionis morbosæ relaxatio sequetur.

8. Refrigerat quoque insigniter sanguinis missio, nec facile invenies remedium, quod calorem morborum auctum opportunius restinguet.

9. Antispasmodicum præstat effectum hæmatisis, propter easdem causas quibus obstructiones eam tollere vidimus.

10. Efficaciam alterantem, præ omnibus aliis quæ novimus exercere videtur. Hinc ejus consilii gratia sæpissime præcipitur in morbis ubi quid aut quomodo profuturus sit, omnino nescimus, nec raro cum optimo effectu. In morbis oculorum, glandium, et variis spasmodicis malis, rationem qua hæmatisis operatur haud facile dixerit aliquis. Ea tamen est in talibus morbis utilitate, ut si abesset, vix unquam morbi ad sanationem pervenirent.

DE EFFECTIBUS HÆMATISEOS IN MORBIS SANANDIS.

Quin morbi febriles quorum nota est fere perpetua, cordis atque arteriarum accelerata contractio, quorum etiam Boerhavius aliique clari viri hanc esse putarunt originem causamque proximam, quin ii, dico, sanguinis missionem enixe postulent, dubitabit nemo. Tales sub nomine *Pyrexiarum* collocavit illustris Gul. Cullen, nec pauci alii Nosologi, quinque ordinibus creatis,

Febre, Phlegmasia, Exanthemate, Hæmorrhagia, Profluvio. De sanguinis missione in his præsertim agere decrevi, licet vix minus utile in Neurosibus appareat. Sed morbi isti, excepta fortasse colica vel cholera, multo rariores sunt, et milites robustos, juvenes, qui sæpiuscule mihi curæ fuerunt, vix unquam occupant. Incertius porro auxilium est, quod in localibus de sanguine misso percipimus; adeoque minus longe iis immoremur.

Febris bifariam subit divisionem; atque modo Intermittens, modo Continua habetur. Intermittens iterum semet in duas varietates diducit, intermittentem propriam, et remittentem. In febre rite intermittente tempus est in quo pulsus vehementer, velociterque micat, facies rubet, caput dolet, cutis calet. Si hoc tempus satis diu duraret, sanguinis missio utile, esset remedium; sed cito abit, atque tempore sudoris, quo omnia signa terrentia, pro uno, duobus, tribusve diebus universe decedunt, excipitur. Hinc rara vel nulla fere sanguinis missio in febre pure intermittente, quæ frigore non calore periclitatur.

Contra, febris remittens sanguinem mitti vehementer postulat. Nam morbus per se periculi plenus, vehementes capitis ventriculique dolores habet, nec raro pulmonum vel intestinorum. Post mortem hæ partes inflammatione implicatæ reperiuntur, atque ista inflammatio lethi causa fuit manifestissima. Hinc sanguinis missiones liberaliter in febribus remittentibus adhibentur, et felicissimo eventu. Sic omnes fere febres quæ remittunt regionum calidarum, liberalibus missionibus curantur. E brachio imprimis semel bis ve ad doloris remissionem detrahunt; aut si dolor capitis urgeat, sanguinis ex arteria temporali missio vehementer laudatur. Signum morbi levati est remissio longior, atque morbus in talibus intervallis, ut intermittens remediis propriis sanatur. Hac ratione clarissimus R. JACKSON, aliique auctores sunt, etiam vim pessimæ febris flavæ Indiam Occidentalem infestantis, frangi posse: atque eadem per ultimos vitæ suæ annos usus est medicus ille egregius BENJAMINUS RUSH, Americanus.

De altera febrium divisione, febre continua diuturna fuit controversia. Nam etiam a CELSO

et GALENO, ut scriptor de hac re optimus * nuper ostendit, hæc evacuatio diligenter adhibita est; atque in multis sæculis quæ inter eos nostraque tempora inciderunt opiniones homines valde distractæ et contrariæ videntur. Plerique tamen, ut supra laudatus auctor demonstrat hac exinanitione usi sunt, etiamsi debilitatis rumores quidam etiam GALENO ipso elapsi identidem exaudirentur. Sed post nomen fatale *nervosarum* febrium introductum, genusque febrium pura debilitate nitentium, post Theoriam demum BRUNONIAM, morbos omnes ad debilitatem referentem nihil fuit quod sanguinis missionem in febre continua tueri posset. Hinc primum oblique veluti imprudentis medici, deinde aperte scriptis atque prælectionibus stringi incepit, donec paucos abhinc annos vix unus aut alter grandiorum natu medicorum extabat qui venam febre laborantis pertundere auderet. Doctor WELSH, quem jam supra citavi, grates quasi agit Americano præclaro B. RUSH, ob hanc audaciam conservatam; sed

* WELSH, "Bloodletting in Fever," p. 85.—88.

nescio annon potius ROBERTO JACKSON, venerabili Copiarum Britannicarum Medico, palma debeatur; hoc saltem ex scriptis ejus appareret.

Sed quisquis fuerit ejus rei conservator, recte conservatam judico. Ex numerosissimis tabulis, quas haud pauci juris publici fecerunt SUTTON, MILLS, STALKER, BATEMAN, GRAHAM, DUNCAN, CHEYNE, WELSH, probe evincitur, mortes CERTE haud crebriores esse ex sanguine misso, quam olim ex contraria curatione, atque aliquid est non nocuisse. Quin et testimonio longe plurium eorundem illustrium virorum, liquet, mortes multo pauciores fieri a sanguine misso; et quicunque viderit solatium, quod copiosa sanguinis detractio impertire consuevit, eadem iterum uti non gravabitur. Abbreviat febrem, mitigat violentiam ejus; coma, delirium, spasmum, dolorem tollit. Spiritum laboriosum compescit, oppressionem, anxietatem febrilem imminuit; aliquando delet. Calorem pulsusque ferocitatem domat, situm restinguit. Nauseam, vomitum sedat. Somnum conciliat, nec raro medicamentorum aliorum, e. g. purgantium, diaphoreticorum, actionem promovet. Quin per se diaphoresin

forte haud inutiliter movere consuevit. Qui hæc commoda rite perpenderit, vix adduci poterit, ut lanceola abdicet.

Quod ad copiam hoc morbo sanguinis detrahendam, ea potius de signis comitantibus quam de legibus præscriptis discenda erit; sed limites fortase haud male ponas inter 16 atque 40 uncias. Nullæ ex notis quas sub initio de quantitate dedimus, negligendæ sunt.

Postremo, prout febris continua, plus minus synochæ vel typhi in se ostendat, copia sanguinis subducti moderanda erit; quapropter haud pauci, nec leves auctores, hæmatisi topica aliquando præ generali uti suasere.

Nulla fere ex phlegmasiis est quæ non hanc exinanitionem probe ferre soleat; nec opus est ut eas sigillatim percurrerem. Cynanche Maligna potius ambiguos habet medicos de usu evacuationum, sed nuper extitit auctor haud incelebris *, etiam in eo sub initio sanguinem utiliter mitti docens. Ophthalmia membranarum, vel Ægyp-

---

* Dr J. Armstrong "on Scarlatina," &c. passim.

tiaca, militum morbus est, contagio, ut creditur, vel certe immunditia, sæpe propagata. Celerrimo cursu ad finem properat, atque donec libera sanguinis depletio instituta est, difficillime ad eventum felicem perduci potuit. Attamen nunc post aliquot annorum experientiam, omnes medici militares hoc remedio niti solent.

Exanthemata fere nihil sunt nisi inflammationes specificæ, ideoquc consimilem curationem desiderant; sed in iis depletio pro morbi gravitate moderanda est.

Hæmorrhagiæ, utpote quæ nisum hæmorrhagicam, actionem scilicet febrilem cum congestione sanguinis in parte ipsa subeuntes, ob causas jam sæpe dictas, sanguinem mitti requirunt.

Profluvia duo sunt, catarrhus et dysenteria. Prior raro tam gravis est, ut sanguinis missionem postulet, sed siquando exacerbata, hoc remedio quoque utilissime utimur.

Dysenteria ex industria recentium, naturam inflammatoriam agnoscere monstratur. Venter torminibus torquetur, tactus dolet, nec raro sanguinem cum sedibus mucosis commiscet.

Febris quoque synocha sæpe comitatur, atque cadavere post mortem patefacto, intestina inflammata apparent, nec raro hepar. Hinc sanguinis detractio ad actionem mitigandam manifeste indicatur, et nuper a Doctore SOMERS, aliisque scriptoribus, reducta est hæc medicina, quam CELSUS, GALENUS, atque WHITE *, apud patres nostros olim celebraverant. Vix addere opus videtur, dysenteriæ acutæ tantum eam curationem convenire, nec etiam omnibus *hujus* exemplis. Missio liberalis esse debet, neque tamen adeo ampla ut in aliis quibusdam morbis acutis, etiamsi depletionem bene ferre dysenterici soleant.

De aliis, ut jam supra monitum est, morbis, ediscere supersedeo.

---

* De Recta Sanguinis Missione.

FINIS.